



Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

1. De Fundatore & Conditore Regulæ. Thema. Et vidi alterum Angelum descendenterem de cœlo. Apoc. 10.1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](#)



EXHORTATIONES PRÆLIMINARES

De Stimulis ac motivis variis,
Regulas observandi.

Exhortatio I. præliminaris

De S. Ignatio, Constitutionum & Regularum Authore;
per Angelum Apocalypticum adumbrato.

T H E M A.

Et vidi alium Angelum fortēm, descendētēm de cōlo.
Apoc. 10. verf. 1.

Quæ faci-
lē ab eius
O d nis
Fundatori
applicati
potest.
Subst:u-
endo ex
vita virtu-
tes aut



Anct. Joannes
Evangelistarum
Aquila, mentis
sue oculos in
celi adyta in-
tendens, admir-
abili æquè, ac amabili fuit specta-
culo recreatus; quod suis ipse ver-
bis describit: *Et vidi, inquit, alium genit. Se
Angelum fortēm, descendētēm de cō-
lo, amictum nube. & iris in capite
eius; & facies eius erat ut sol, & pedes
eius tanquam columnæ ignis: & habe-
bat in manu sua libellum apertum; &
posuit, pedem suam dextram super
mare; & sinistrum autem super terram,*
A & elat-

EXHORTATIO I.

¶ clamavit voce magna, quemadmodum leo rugit: & cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.
Apoc. 10. Angelus hic Venerabili Bede, Richardo & aliis, Christi Domini nostri est symbolum: qui in Incarnatione sua de celo descendit: & humanitatis nostrae nube amictus, solis instar, sanctitatis sua radios quaquaversum diffudit: iridem in capite gerit; quia pacis legatum agit: terra & mari imperat, proinde que pedem unum terrae, mari alterum tanquam utriusque possessor ac Dominus imponit: librum apertum manu tener: quia gratia & salutis mysteria pandit: rugit instar leonis, quia gehenna supplicia impiis denuntiat: denique post vocem ejus Septena tonitrua sonant, quia Apostoli, velut Boanerges, Evangelium toto orbe predicant. Quod sanctis Patribus & voluminum Sacrorum Interpretibus, Christi domini, Regis ac Duxis nostri supremi, (sub cuius Labaro Sacramentum diximus & militamus) in sensu principali, est symbolum; non nobis non abs re, S. Ignatii Fundatoris, & Antesignani nostri, Strenui Christi Domini nullitus, in sensu minus principali, est hieroglyphicum: quod ipsum dictione presenti per partes, ordine declarabimus; ut Dictatoris & Conditoris legum nostrarum, perspecta sanctitate ac prastantia, pluris easdem afflmemus & exactius observare studeamus.

I. Er vidi alium Angelum. Si caritas de homine, Angelum facit, ut
S. Ignatius Angelus.

S. Bernardus, aliqui Patres afferunt, S. Ignatius Angelus extitit: quia rarissimo & excellentissimo castitatis dono resulxit. Postquam enim, primo, à conversione sua, mense irrevocabili fere castitatis votio obstrinxit: & noctu vigilantis clarissima beatissima Virginis Maria, una cum sancto pueru Iesu, species objecta est; ex ea mirificè recreatus, tantum vitæ præteritatem cepit, maximeque carum rerum, quæ cum obscena delectatione conjuncta sunt; ut omnium rerum impudicarum imagines ex animo ejus, effluere omnino viderentur: ut Ribadeneira L. i. vite. c. 2. testatur. Addit Lancicius opusc. 18. c. 8. Ignatium, quamvis indole ferventiore, ac quodammodo ignea esset dotatus, vitamque sæcularem more militari traduxisset; ex eotamen tempore, quo voto castitatem firmarit, omni prorsus sensu libidinis earuisse: quod, quam excellens, rarumque Dei sit donum; etiam virorum sanctissimorum carnis rebello, vel nivibus extincta, vel urticis, spinis verepressa, abunde demonstrat. Ex hoc autem, tam flagrante castitatis angelica amore, scintillæ istæ ab Ignatio in Societatem universam sunt sparsæ; diffusisque ac propagatus ardor quidam eximius & in se & in aliis servanda ac propugnanda castimonice, plus ferè, quam ullius aeternus virtutis, ut experientia comprobat. An non igitur Ignatius, ob insignem adeò puritatis prærogativam Angelus meritò nuncupatur?

II.

H. **Pontis.** **II. Fortem.** Si officium fortitudinis, ut S. Albertus M. in Paradiso c. 9. tradit, est firmare intellectum in cognitione Dei & affectum in dilectione Dei & proximi: robore mentem inter aduersa, ne terreatur; & inter prosperane mulceatur. Item mentem animare, ut semper exarcatur in bonus, & confortare ipsam, ne unquam vencatur in malis. Quis S. Ignatium fortem fuisse negari? Etenim quam praeclarè omnia ista praesertim, vita ejus perhibet universa. Quis in Dei cognitione, uacan in Dei, proximique amore magis illo desixus extitit? Quodnam robor mensis ejus, sive in prosperis, sive in adversis fuit? Quid à conversionis primordiis, tota ejus vita, nisi exercitium operum bonorum, & tolerantia fuit malorum? An non in Hispania, ob animarum salutem persecutioes, carceres & vincula, maximo animi sui gaudio sustinuit? nec ulla tamen tanta excogitari potuerunt, injuriaz, calumniaz, criminationes, ut mentem ejus à juvandis animis avocarent. Quanta animi fortitudo & magnitudo esse debuit, quâ homo literarum ignarus, in aula & armis educatus, novum Ordinem religiosum molitus esset? quod haud absimile prodigium esse videtur, illi, quo Apostolus quispiam idiota, regnum aliquod aut regiones ad fidem Christi convertit: meditatus nihilominus & aggressus est illud Ignatius, atque ad finem feliciter perduxit: quod admirans religiosissimus & zelosissimus in Hispania Ecclesiastes M. Jo-

annes Avila (qui similes conceptus foverat, sed ad finem à se perduci posse, animum despenderat) se pigmaxum, Ignatum verò gigantem vocitaba; utpote, qui pondus tantum sublevarе valuisset. Angelus igitur fortis fuit Ignatius.

III. Descendentem de celo. Si seculo superiore, Germania ignorantiā, scelerum colluvie, & Lutheri perfidia foedata; si Gallia Calvini peste infecta, si Austria, Hungaria, Anglia, aliaque regna vitiis & heresibus corrupta, veritatem diffiteri noluissent; an non Ignatium tanquam Angelum è celo lapsum, miseriis suis medelam altaturum, pleno ore depradicasset? Si India, si China & Japonia infidelitatis sua tenebris involuta: si Ecclesiae & templo, si academiz & gymnasia, si Religiorum asceteria Clerique collegia, voce prædicta fuissent, an non Ignatium tanquam virum de celo descendenter laudibus summis extulissent? Et nos ipsi ejus Filii, an non merito ut Genius celestem suscipimus, qui è celo Constitutiones & regulas nobis attulit, quas magna ex parte non nisi revelatione divina addidicit, ut videre est apud Lancicium, L.c. & Ribadeneiram L. 5. vite o. i. ubi ipse Patriarcha sanctus, Parri Layno fateretur, Ordinum Fundatoribus, præcipua religionis suæ capita, revelatione coelesti communicari. Ad hanc an non è celo descendit vita ejus militaris in angelicam commutatio? An non è celo descendit invicta ejus fortitudo, quâ contra

III.
De celo
veniens.

A 2 aerias

EXHORTATIO I.

aërias potestates , & tenebrarum Principes prævaluit, tum se in primis è potestate illorum erundo, tum socios quoque suos ac Filios, & per illos, alios propè infinitos, non tantum ex eorum tyrannide liberando verum etiam sic armando ac instruendo, ut & milites fortissimi, & Duces Strenuissimi contra Stygias phalanges evaderent? An non è celo descendit, frequens mentis illustratio, & raptus: præcipue vero extasis illa eximia, in qua, septidui spatio, in colum, non corpore quidem, sed spiritu raptus fuit: & ex qua tantam sapientia & prudentia lucem, tantam gratiarum, ceterorumque cœlestium charis natum affluentiam hausi?

IV. Nube amictus.

IV. Amictum nube. Nube amictus fuit Ignatius, non in figura, quâ olim Fili Israhel ducebantur in deserto, sed in veritate; nube scilicet illâ; quâ per istam designabatur, nimis Spiritu sancto, qui ut nubes lucida in monte Thaboro, Christum Dominum nostrum obumbravit. Hac nube divinâ obumbratus simul & illuminatus fuit Ignatius: hæc nubes viam illi monstrabat in dubiis, & in cœlestem præmissionis terram rectâ deducebat: hæc illum ab omni ventorum, ac tempestatum turbine protegabat; ne per tentationem caderet: hoc ab æstu propriarum concupiscentiarum defendebat; ut in medio ignis non astuaret; Hæc in cōstitutionibus scribindis lumen affundebat, ne ad hoc illud extrellum defleteret:

hæc stante, stabat; hæc progrediente pergebat, & ad perfectionis altissima fastigium ac metam properabat.

V. Et iris in capite ejus. Iris sym-

v.

bolum est rectæ intentiovis, ut & ^{hunc} reconciliationis ac pacis. An non ^{conatus}

1. Intentio S. Ignatii purissima ex-

titit, quâ majorem Dei gloriam in

corde, ore & opere semper præfere-

bat? quâque in finem Societatis,

nunquam non tendebat, ut videlicet,

pors se subisque, non solum pro-

priam, verum etiam alienam salu-

tem & perfectionem pro viribus

procuraret. 2. Iris versicolor signum

est fœderis & reconciliationis inter

Deum & hominem initæ post dilu-

vium. Quid aliud intendit S. Ignas-

tius, nisi per charitatem, virtutum

varierat, tanquam coloribus diver-

fis exornatam, inter Hæreticos re-

conciliationem cum Ecclesia, inter

peccatores pacem cum Deo, non so-

lum significare, verum etiâ efficere,

idque veritatibus è verbo divino de-

promptis: *Scriptura Sacra arcus est*

Ecclesia ipsa est arcus Domini, ait S.

Gregorius L. 19. moral. c. 18 de qua ad

corda hominum, sicut ferentes sagittas,

sic terrentes sententia veniunt: unde

psalmus 7. dicitur: arcum suum tene-

dit, & paravit illum: & in ipso para-

vici a mortis, sagittas suas ardenti-

bus effecit. Arcum suum namque Do-

minus tenetis quia cunctis peccato-

ribus, per scripturam sacram minas

exhibuit. Ardentibus hisce sagittis,

S. Ignatius, tum in verbi divini præ-

dicatione; tum in doctrina christia-

na explanatione, audientium corda

feriebat,

P R A E L I M I N A R I S.

feriebat, ut eos Deo & Ecclesiaz re-conciliaret. Iris ergo fuit in capite ejus, in ore manuque arcus & sagitta corda penetrantes.

VI. Solis in-
star ful-
gens.
VI. Et facies ejus erat ut sol. Quo-ties S. Fundatoris facies & caput eximio quodam fulgore coruscavit? Ejusmodi splendore radiantem vedit Barcinone Isabella Rosella? dum faci plebis immensus verbi divini predicationi interest: simili claritate nicanter, conspexit Joannes Paschalius, & Domeluci, dum in ho-spitali domo ager decumbit. Roma vero idem notavit Alexander Perro-nius, P. Oliverius Manaraus & in primis P. Ludovicus Gonzalvus, Minister Domus Professar, qui quo-tiescumque orantem S. Ignatium in cubiculo adiit, adiit autem sapissi-mo, cœlesti splendore radiantem, semper obseruavit: quin & S. Philippus Nerius vireximia sanctitatis & S. Ignatio perquam familiaris, eâ sanctum Patrem vita sanctimoniam prædictum esse dicens solitus erat, ut animi ejus pulchritudo foris promi-care & in cuius oculis, vultuque co-ruscantes lucis radios raro sape a se con-spectos esse profitebatur. Sol igitur fuit S. Ignatius, cœlesti fulgore radians, & Societatem universam, imo & mundum illuminans.

VII. Librum
manu
preferens.
VII. Et habebat in manus libel-lum apertum. Artificiosus pictorum, penicillus S. Patriarcham nostrum, manu librum apertum, præferentem delineat, cum epigraphe: Constitu-tiones Societatis JESU. Et merito quidem; ipse enim illas decennio &

quod excurrit, magna industria & labore conscripsit. Apertus autem est liber, ut omnibus, vocationis grati-am à Deo habentibus pateret. O quam excellens, quam admirandus liber! in decem partes distributus, tot cœlestibus luminibus, & apparitionibus, dum scriberetur illustratus! Liber vel ipsorummet Hæreticorum judicio admirabilis, omni prudentia humana major, ideamque perfec-tissimæ ac numeris omnibus abso-luta Reipublica continens. Liber à sanctissimis, doctissimisque viris, ob reconditam in eo divinam sapien-tiam ac plenissimam totius christia-na & religiosæ perfectionis doctri-nam mire astimatus, summè lau-datus, & à diversis summis Pontifi-cibus approbatus.

Atque ut reliqua paucis perstrin-gamus, ne justo prolixiores simus.

VIII. Leonis
instar
rugiens.

An non pedes ejus erant tan-quam columna ignis; qui in affectus ardentes roties erumpentebat? qui live mensæ benediceret, live ad aram fa-ceret, live è florculi aut vermiculi conspectu in Deum ascenderet, totus a stuabat, & ferventissimis charitatis affectibus totus flagrabit? IX. Terra marique pedes impo-suit: quando viros Apostolicos in longinquas regiones, terra marique ablegavit; & conti-nentem & Insulas, marias & terras suavi Christi jugo subjecit. X. Instar leonis clamavit & rugiit. Rugit leo dum vel esuriens escam querit. Psal. 103. 22. Catuli leonum, rugientes, & quarentes a Deo escam sibi, vel pre-dam jam adeptus pra gaudio, aut

A 3 ex

EXHORTATIO I.

ex metu vel ira ne captâ præda
spolietur. *Nunquid leo rugiet in falso*
nisi habuerit predam? Amos c. 3. 4.
O quoties rugit Angelus noster pra-
fame & desiderio animarum J E S U
Christi sanguine pretioso redemp-
torum? Quoties preces ardentes ad
Deum, quoties lacrymas, clamore-
que validos emisit? Reportatâ verò
prædâ animarum copiosa, quoties in
Dei laudes, & benedictiones erupit?
XI. Et cùm clamasset, locuta sunt se-
pitem tonitrua voces suas clamante
Christo, velut echo, respondere Apo-
stoli: clamante Ignatio per orbem
universum insonuere voces socio-
rum, catechizantium, prædicantium,
doceantium, in Europa, Asia, Afri-
ca & America: *In omnem terram*
exivit sonus eorum.

Quare, charissimi, abundè con-
spicitis Angeli nostri Apocalyptici;
sancti, inquam, Ignatii, legum no-
strarum Conditoris sanctimoniam &
excellentiam, ac proinde, quanto in
precio Librum Constitutionum, ab
ipso nobis apertum & porrectum
habere debeamus. 1. *Angelus fuit &*
angelicam cælitatem in libro hoc,
nobis æmulandam præscriptus. 2. *Fot-*
ris fuit, & ad magno labores pro a-
nimarum salute exantlandos, regulis
suis nos animavit. 3. *De celo descen-*
dit, ut gratiam vocationis, Librum
legum nostrarum, mediisque ad fi-
xem præcripta, tanquam de celo
allata complectamur. 4. *Nube ami-*
ans fuit Spiritus sancti, eadem nos
obumbrari, & in omnibus dirigere

piens. 5. *Iris in capite ejus, ob pu-*
rissimam intentionem & homiaum
reconciliationem, quam utramque
in regulis præscriptis. 6. *Factes ejus*
ut sol splenduit, sanctimonia radiis
ex animi interiore puritate foras
promicantibus; quam si imitabimur,
boni exempli & edificationis radios
in proximum diffundemus. 7. *Liu-*
brum aperatum, manu præfert: quia
ut magis magisque nobis aperiatur,
sequentes exhortationes, veluti to-
tidem expositiones, elucidationes ac
declarationes plurimum juvabunt:
opus duxtaxat est, ut aviditate ma-
gnâ librum hunc devoremus, & in
succum ac sanguinem nostrum con-
vertamus. 8. *Pedes igneos habuit,*
& terra marisque imposuit, ut ad
portandum J E S U Nomen coram
Gentibus & Regibus, terrâ marique
prompti, & accincti semper stemus.
9. *A leone, leunculi rugire, clama-*
re, catechizare, prædicare, docere,
animâsque ad Deum adducere disca-
muss. 10. *Et tangentes Boanerges ac*
Filiâ tonitruâ, æterna mortalibus
inculcemus. Quæ si præstiterimus,
cum S. Ignatio, Angeli apocalyptici,
fortes, celestes, puri, lucentes, arden-
tes, terra marique imperantes, ru-
gientes ac tonantes erimus; atque
secundum Libri Constitutionum à
S. Parente nobis aperti directionem,
& instructionem, propriam, alie-
nâmqâ salutem ac perfectio-
nem mirifice promo-
vebimus.

II, EX-